tas hinc suspicor quod non rescripseris mater quod nomen sit Procuratori paterno
Amsterodami; per illum liceret subinde uti literarum tuta reciprocatione. Qui etiā
si qua forte ex prompta pecunia opus esset ab illo facere (qua nostra fiducia est)
poteremus. Tuam erga me et filij Danielis beneuolentiam et liberalitatem (quod
unum queo) prosequor grati animi crebra cogitatione, neq desino apud istos Rhe-
ni accolas de Bremensium amicorum studio et fide gloriari. Et saepe meus mihi
suggerat genius in illa me stultorum naui esse, quos grauiter taxans sapiens, Cla-
mant (inquit) malum est malum est cum emunt, cum amiserint laudant. Res
hic nostrae etiamnum in herba sunt. proximis diebus non mediocrem calami-
tatem attulit acerbum funus prudentis Consulis qui fere unus fuerat huius no-
ui instituti inceptor. Filius DEI Saluator noster det tandem aliquando pa-
cem Ecclesiae suae, et nobis eiusdem amatoribus salutem. Amen. Exhi-
larauit me et meos adscripta tuis literis precatio, quam utinā Pater nos-
ter coelestis largiter in sinū uestrū refundat. Multum et sumptus et
molestiarū mihi ademit uestri Senatus nobiliss. locuples de me et pu-
eris testimoniū pro quo quam possum maximas gratias ago. Vale uir
ipsa humanitate humanior. 12 februarij 1560.

Conrectori Bremensi. Strokrantio.

Nr. 49)

Pax Christi.

Vir candidissime duae me res in ~~meis~~ tuis amicissimis literis praeter caeteras
mirifice delectarunt, illa quidem quod tam cordate tamq (ut ita dicā)
illecebriliter prouocas ad stabiliendam inter nos amicitiam quae nuper exti-
[=Mscr. a. 11: Nr. 188] tit magis ex animorum quodam arcano consensu: quam ex paucorū dierū
nimis temporaria familiaritate. Haec uero quod tam pie tamq uiriliter
(ut aliquo sensu mearum miseriarū tactus) hortaris ne tam deiectus sim aīo
sed potius ut dulcissimarum promissionum cogitatione me sustentans tris-
titiam et metus tradam proteruis in mare Creticum portare uentis. Hoc
uerbum tam opportune abs te profectum singulari quadam consolatione meū
cor excitauit. Usq adeo nulla est afflicti animi praesentior medicina,
quam tempestiua oratio sincere diligentis. Tuam ergo illam prouocatio-
nem nisi ambabus ulnis amplectar, non impius modo sim, sed inhumanus
etiam et ferus. Consolatio autem ipsa quae tam in tempore adhibita nō
dubiam perfecte amantis animi significationem secum attulit, praeterq quod
me reddidit alacrem ad quiduis perferendū, manebit etiam impressa meo,
quamlibet angusto pectori, tanq quoddam perpetui in nos amoris sigillum.
Caeterum sicut ex tua tam plena officij et beneuolentiae epistola magnus meo
in te amori cumulus accessit, ita meae literae nihil aliud uolunt, nisi ut in-
telligas me quum istam ultroneam animi in me tui pietatem uehementer re-
damare, tum etiam hunc amoris nostri fructum arbitrari maximū, si, perga-
mus utrq alterum ultro citroq discurrentibus literis cohortari; et utrq alte-
rius labores uocationis ad gloriam Patris Filio Mediatori nostro quoti-
dianis suffragijs commendare. Vale.

[4. Martii 1560.]